

mo imperante expressimus, dulciter lege. Jam vero ut reprehensibilis divini altaris non sit sacerdos, pauca de reliquis Apostoli testimoniis, quantum Dominus donat, exponam. Sufficiant superiores causae, quae dictae sunt. Verum ne aliquis minus intelligens ad episcopos tantum sentiat Apostolum suisse locutum, quid de diaconis ad Timotheum praeceptum sit, quid de presbyteris ad Titum, commemorare delectat. Sed praetereundum non est superiorem explanare sententiam. Unius uxoris virum, et nova et vetus praeceptio sacerdotem censuit eligendum, quia digamos ad ministerium plerique episcopi applicuerunt, sicque afferunt, concubina fuit illa, haec uxor, quasi non eadem sint commercia foeditatis in illa, quae in hac exercentur, quae uxor asseritur. An quia conjugii tabulas non fecit, concupiscentia aliena non fuit? Nullo pacto digamos, vel concubinarum catenis insertos, decet subire sacerdotii ministerium. In Levitico scriptum est ac praefinitum, quales eligi debeant sacerdotes, sicut habes: Et dixit Dominus ad Moyseum: Sacerdos uxorem accipiat virginem de semine patrum suorum. Viduam vero aut destitutam, aut a vivo marito derelictam non accipiat. Bene audivi praecipiente Domino Moysi, quia nec uxor debet sacerdoti digama convenire, ne honorem polluat sacerdotii. Sicut unius uxoris virum, sic unius viri mandat uxorem: si ergo clericus monogamus fuerit, et uxor ejus digama, noli eum ministerio applicare. Digamam enim duxit uxorem. Haec Tito praecepta idem Apostolus de ordinandis clericis dedit. Et quia liber finem expectat, ad id redeamus, unde digressi sumus. Nec si duae vel tres pariter Dei ancillae morentur, solum ad eas ingredi convenit sacerdotem. Si quis haec praecepta non observaverit, hostis et animae sua. Quod si post monita nostra aliquis clericus agapetas amplius quaesierit amare quam Christum, secundum synodalem regulam conveniatur, et praecepta patrum in Nicea definita ei legantur. Jam vero si conventus